



**EXIMI-//VM PLANEQVE DIVI-//NVM OPVS
INCOMPARABILIS// Theologi Dionysij, professione
Car//thusiani, in quo opere contine[n]tur// quinque
humanae uitae specu//la**

Dionysius <der Kartäuser>

Coloniae, 1540

[Caput I.]

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55481](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55481)

SPECV

LORVM STATVS VITAE

humanae, LIB. III. qui inscribitur Spe
culum secularium, siue mundi hu
ius amatorum.

Hiere. 20.

Bernar.



ERBA Hieremiae prophetae: Quare de uulua matris egressus sum ut uiderem laborem & dolorem, & cōsumerentur in conclusione dies mei? Si talia loquitur de se, ille quem sanctificauit deus in utero, qualialo-
quar de me quem mater mea genuit in peccato? Bernardus enim dicit: Stude cognoscere teipsum, quia multo melior & laudabilior es si teipsum cognoscis, quam si te neglecto cognoueris cursus siderum, uires herbarum, complexiones hominum, naturas animalium, & haberes omnium caelestium & terrestrium scientiam. Attende ergo diligenter o homo, quid fuisti ante ortum, & quid es ab ortu usque ad occasum, & quid eris post hanc uitam. Profecto fuisti spurcissimum sperma & uile semē conceptus in putredine carnis, in feruore libidinis, in foetore luxuria, & (quod deterius est) in labe peccati. Sed attende, quo cibo in utero materno nutritus sis. Profecto sanguine menstruo, qui cessat in femina post conceptum, ut ex eo nutriatur conceptus in utero. Qui quidem sanguis fertur esse tam detestabilis & immundus, ut eius contactu fruges non germinent, arescant arbuta, moriantur herbe, amittunt arbores textus, & si canes inde comederint, in rabiem efferuntur. Postea plorans & eu-
lans

S E C V L A R I V M

lans traditus es huius mundi exilio ad laborem timo-
 rem & dolorem, & quod grauius est, ad mortem. For-
 mauit igitur dominus deus hominem de limo terræ,
 quæ cæteris indignior est elementis. Planetas & stel-
 las fecit ex igne, flatus & uentus fecit ex aere, pisces &
 uolucres fecit ex aqua, homines & iumēta fecit de ter-
 ra. Considerans igitur aquatica te uilem inuenis, con-
 siderans aerea te uiliorem cognosces, considerans ig-
 nea te uilissimum reputabis. Nec ualebis te parifi-
 care cælestibus, nec audebis te præferre terrenis, quia
 parente iumentis inuenies, similem recognosces.
 Vnus est hominum & iumentorum interitus, et aqua
 Eccl. 3
 lis utriusq; conditio, cum nihil habeat homo ampli-
 us iumento, de terra orta sunt, & in terram pariter re-
 uertentur. Verba sunt ista non cuiuslibet hominis sed
 sapientissimi Salomonis. Sic ergo o homo quantūcun-
 q; nobilis diceris, ad hunc mundum uenisti, nec me-
 mor es quam uilis origo tui. Forma, fauor populi, fer-
 uor, iuuenilis opesq;. Subripuere tibi, noscere, quid sit
 homo. Nunc attende secundo, o homo quid es. Audi
 de hoc stellam doctorum Augustinū, ira de seipso di-
 centem: Heu miser quid sum ego? Sum uas sterquil-
 nis, concha putredinis, plen⁹ fæore & horrore, cæcus,
 pauper, nudus, plurimis necessitatibus subditus, igno-
 rans introitum & exitum meum, miser & mortalis,
 cuius dies sicut umbra prætereunt, cuius uita sicut la-
 na euanescit, sicut flos in arbore crescit & statim mar-
 cescit. Sum terra miseriæ, filius iræ, uas aptum in con-
 tumeliam, genitus per inmundiciam, uiuens in mis-
 ria, moriturus in angustia. Item Bernardus: Quid ali-
 ud est homo quam sperma fatidum, saccus stercoreū,
 cibus uermium? Si diligenter consideres, quid per os,
 nares, ceterosq; tui corporis meatus egrediatur uilius
 ster

Stella docto-
 rū Augusti-

S P E C U L V M

Merquilinum numquam uidisti. O uilis conditionis
humanae indignitas, herbas & arbores inuestiga. Ille
de se producit flores, frondes, fructus, et tu de te len-
des, pediculos, et lumbricos. Ille de se tundunt oleum,
uinum, & balsamum, & tu de te sputum, urinam, &
stercus. Ille de se spirant suauitatem odoris, & tu de te
reddis abominationem fetoris. Qualis est arbor, ta-
lis est fructus eius. Non enim potest arbor mala fructus
bonos facere. Quid enim est homo secundum formam,
nisi arbor uersa? Cuius radices sunt crines, truncus est
caput cum collo, stipites est pedes cum talis, rami sunt
ulnae cum tibis, frondes sunt digiti cum articulis. Ho-
mo est folium quod a uento rapitur, & stipula quae a
sole siccatur. Vnde beatus Job ait: Homo natus de mu-
liere repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur
& conteritur, & fugit uelut umbra, & nunquam in eo-
dem statu permanet. Hinc & deus ait ad hominem: Ci-
nis es & in cinerem reuerteris. Et Job dicit domino: Me-
mento quae ego quod sicut lutum feceris me, & in pulue-
rem reduces me. Quid ergo lutum superbis? de quo pul-
uis extolleris? Vnde cinis gloriaris cuius conceptio cul-
pa est, nasci poena, labor uita, necesse mori. Cur carne
tuam preciosis rebus impinguas & adornas, quae post
paucos dies uermes deuoraturi sunt in se pulchro, ani-
mam uero tuam non ornas bonis operibus, quae deo
praesentanda est & angelis in caelis. Quare animam tuam
uili pendis & ei carnem praeponis? Dominam ancilla-
ri & ancillam dominari, magna abusus est. O anima ha-
bes inimicum domesticum amicum aduersarium qui
malum pro bono reddit, & sub specie amicitiae crude-
lior existens inimicus. Hic hostis est caro tua infelix et
misera, multum tamen dilecta. Hanc cum pauisti ini-
micum pessimum contra te erexisti. Hanc cum ornasti.

Job. 19

hostem crudelissimum contra te armasti. Hanc cum
 foris uarijs & preciosis indumentis induisti, omnibus
 caelestibus ornamentis te spoliasti. Considera tertio ex
 go & attende, o peccator, quid eris post hanc uitam?
 Eris reuera cadauer miserum & putridum, & cibus
 uermium. Inspice sepulchra eorum qui morte corpo
 ris hinc exierunt, & nihil inuenies in eis nisi cinerem
 & uermem, & fetorem & horrorem. Quod tu et illi
 fuerunt, & quod ipsi sunt, tu eris. Homines fuerunt si
 cut tu, comederunt, biberunt, & miserunt, duxerunt in
 bonis dies suos, et in puncto ad inferna descenderunt.
 Hic caro eorum uermibus & illic anima ignibus de
 puratur, donec rursus infelici collegio colligati sem
 piter nis inuoluantur incendijs, qui socij suerunt in ui
 cijs. Vna namq; poena implicat, quos unus & mor in cri
 mine ligat. Quid profuit illis inanis gloria, breuis lae
 ticia, mundi potentia, carnis uoluptas, falsa diuitia,
 magna familia, & mala concupiscentia? Vbi risus, u
 bi iocus, ubi iactantia, ubi arrogantia? De tanta lati
 tia quanta tristitia, post tantillam uoluptatem tam
 grauis miseria, de exultatione ceciderunt in grandem
 ruinam & magna tormeta. Quicqd illis accidit, tibi acci
 dere potest quia ho es, homo de humo limus de limo.
 De terra es & de terra uiuis, & in terram reuerteris qua
 do ueniet dies ultima, qua subito ueniet & forsitan
 hodie erit. Certum est enim, quod morieris, sed incer
 tum, quando, aut quomodo, uel ubi, quoniam mors
 ubique te expectat. Tu quoque si sapiens fueris, ubi
 que eam expectabis. De his etiam mundi amatoribus
 sic dicit Isidorus: Dilectissimi pensare debemus, qua
 breuis est mundi felicitas, quam modica est huius
 seculi gloria, quam caduca & fragilis est tempora
 lis potentia. Dicat enim qui poterit, ubi sunt reges

o n ubi

SPECVLVM

ubi principes? ubi imperatores? ubi rerum locupletes?
 ubi potētes seculi? ubi diuites mundi? Qua umbra trā-
 sierunt & uelut somnium euauerunt, queruntur &
 non sunt. Quid dicemus ad hæc? Reges obierunt &
 principes mortui sunt, multi tamen putant diu uiue-
 re, & quasi nunq̄ morte cadere de præsentī uita. Certe
 non sic impij, non sic. Vos autem sicut homines mor-
 riemini, & sicut unus de principibus cadetis. Adhuc
 de conditione hominis post mortem, sic dicit beatus
 Bernardus: Quid fœtidius humano cadauere? qd hor-
 ribilius mortuo homine? Cuius in uita erat gratissi-
 mus amplexus, fit in morte horribilissimus aspectus.
 Quid ergo profunt diuitiæ? quid deliciae? quid hono-
 res? Diuitiæ non liberant à morte, nec deliciae à uermi-
 bus, nec honores à fœtore. Item dicit Chrysostom. de
 eodem sic: Quid profuit illis, qui in luxuria corporis
 & in præsentis uitæ uoluptatiōe usq; ad diem ultimū
 permanserunt. Intuere nunc sepulchra eorum, uide si
 est aliquod iactantiæ uestigium in eis, si aliqua diuiti-
 arum uel luxuriæ signa cognoueris. Require ubi nūc
 uestes & ornāmēta tam pulcherrima. Vbi nunc & spe-
 ctaculorum uoluptas, ubi assedarum turbæ & conui-
 uiorum cessit opulētia. Rissus iocus & immoderata
 lætitiā atq; effrenata, quo abiit? quo recessit? ubi illa
 nunc & ubi ipsi? Quis finis utrorunq;. Intuere dilige-
 ter, & accede propius ad singulorum sepulchra, uide
 cineres solos & fœtidās uermium reliquias, & recor-
 dare charorum hunc esse finem, etiam si in lætitiā &
 delitijs, etiam si in labore & cōrinentia transigerunt
 hic uitam. Ecce dilectissime mihi, iam legisti, iam uidi-
 sti in hoc capitulo ex uerbis sanctorum, quid fuisti
 ante ortum, quid es in præsentī uita, & quid eris post
 hanc uitam. Vt nam circa hæc tria iugi meditatione
 uer

uerferis. Infelices quippe filij Adam omiffis ueris & fa-
 lucaribus studijs, caduca potius & transitoria quarūt.
 Sed tu charissime ruminans in corde uilitatem tuam
 & miseriam, secundum exteriorem hominem sectare
 humilitatem, tuge superbiam, sciens quod superbia
 est signum, quo diabolus distinguit suos ab alijs. Vn-
 de Iob: Ipse est rex super omnes filios superbix. Vnde
 Greg. Euidentiſſimum signū reproborum superbia,
 electorum humilitas. Quod si quis habeat, cognosci-
 tur sub quo rege fit uel milite, scilicet utrum sub re-
 ge Christo an diabolo. Isidorus: Anima superbi adeo
 derelinquitur, & fit dæmonū habitaculum Ecclesiasti-
 cus: Odibilis deo & hominibus supbia, ut patet, quia
 superbia luciferum de cælo eiecit, Adam de paradiso
 depulit, Pharaonem & exercitum eius submersit, Sa-
 ul de regno eiecit, Nabuchodonosor in bestiam trans-
 mutauit. Propter superbiam Antiochus male mortu-
 us est, Herodes ab angelo percussus.

Eccl. 10.

*De peccato in communi & quanta per pec-
 cata incurrimus spiritualia detrimen-
 ta siue damna.*

CAP. II.

QVI facit peccatum à diabolo est, qui peccat
 ab initio. Scribitur enim in prima canonica
 Ioannis. peccatum est onus graue, quod cælū nō susti-
 nit, nec terra ultimo sustinebit, sed detrudet in infer-
 num cum autore suo. Et sciendum secundum August.
 quod peccatum est omne dictum factum uel concupi-
 tum contra legem dei. Debet autem quilibet bonus
 Christianus q̄ saluari desiderat summo studio & sum-
 ma diligentia, omne peccatum uitare, & hoc præci-
 pitur.

Cap. 3.

Peccati def-
 nitio secun-
 dum Augu-
 stinum.